





72

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**AVDITVS DIFFICVLTATE**  
CIRCA  
FÉBRIVM ACVTARVM DECREMENTVM  
OCCVRRENTE

1767.12.  
QUAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAE SIDE

PRORECTOR E FRIDERICIANAE MAGNIFICO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PUBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRAD V DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS


D. III. DECEMBER. A. R. S. CLO 10CC LXVII.

PUBLICE DEFENDET

**IOANNES EBERHARDVS FISCHER**  
STECKLENBERGA - HALBERSTADIENSIS.

---

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.



V I R O  
EXCELENTISSIMO, CONSVLTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE  
D O M I N O  
I O A N N I C H R I S T I A N O  
F I S C H E R,

A V G V S T I S S I M I A C P O T E N T I S S I M I R E G I S B O R V S S I A E  
C O N S I L I A R I O C O M M I S S I O N V M ,

E T  
P R A E F E C T U R A E W E V E R L I N G E N S I S , I N P R I N C I P A T V  
H A L B E R S T A D I E N S I , I V S T I T I A R I O M E R I T I S S I M O ,

F R A T R I S V O G E R M A N O C H A R I S S I M O ,

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

IN AMORIS ET OBSERVANTIAE

TESSERAM

JOANNI CHRISTIANO

CVM VOTO OMNIGENAE AC PERPETVÆ

PROSPERITATIS,

D. D. D.

FRATER IPSIVS SINCKRIMVS

IOANNES EBERHARDVS FISCHER.



§. I.

*Introitus.*

**V**t rei statusque publici potentia nunquam fe-  
re magis, quam eo tempore, inclarefcere  
solet, quo, vt se contra pernicioſum &  
interitum minitantem hostem defendant,  
omnes colligunt prudentiae, fagacitatis &  
roboris artes ac vires: ita, quid posſit valearque corpus hu-  
manum, tunc demum appetet, quando in febribus acutis,  
ad vigorem perductis, suammet ipsam ſalutem propugnat.  
Conficiuntur enim in hoc caſu vires corporis humani non  
raro acre quoddam praeſium cum cauſa morbiſica inire,  
per quod morbum vincere, eiusque cauſam mutare ac ex-  
pellere ſtudent; quaे quidem res ſine ſumma virium inten-  
ſione fieri nequit, vt ingentibus etiam ſaepe motibus tunc  
videas corpus humanum turbari, qui de virium efficacitate  
teſtantur. Eleganter hinc GAVBIUS (Institution. Patholog.  
medicin. §. 19.), nec tamen ſatis eft, inquit, vires eiusdem-

que motus, prout in sanis se produnt, in Physiologia expouisse: luctans cum morbis Natura, quam Pathologia exhibet, facultates, affectionesque suas etiam explicatus producit. Solent tamen nonnunquam eo ipso tempore nonnulla in corpore humano occurrere, quae partem virium fractam esse satis demonstrant: Quorum in primis cerebri & neruorum incommoda referri debent, affectus comatosi, vertigines; surditas, difficultas audiendi & alia similia. Quae quidem mala, ne iis decipiatur Medicus, atque malum morbi euentum auctum metuendum esse inde colligat, nostra consideratione dignissima sunt. Factum inde, vt, pro imperando Doctoris gradu, de Auditus difficultate circa febrium acutarum decrementum occurrente, discerere apud me constituerim, in cuius ergo nunc genuinas causas & naturam inquiram.

## §. II.

*Observationes quadam, de auditus difficultate circa febrium acutarum decrementum occurrente.*

Surditas vero audiendique difficultas circa dies criticos febrium acutarum, inde ab omni aeuo a Medicis est observata. Sic HIPPOCRATES eam notauit Epidem. Libr. III. p. 1103. Oper. omn. Edit. FOESTI. Abderae virginem, inquit, quae ad viam sacram decumbebat, febris ardens prehendit. Sitibunda autem erat & peruigil, eique tum primum muliebria profluxerunt. Sexto die vehemens stomachi saftidurum adfuit, rubor, horror, cum molesta corporis lactatione. Septimo die eadem perseverauerunt. Vrinæ tenuies quidem, verum probrai coloris erant, alius commode habebat. Octauo surditas, febris acuta cepit, insomnis, aestuabunda, cum horrore sensu, mentis erat compos, vrinæ eadem. Nono ac proximis diebus eadem perseverauerunt, atque adeo permanxit

mansit surditas. Decimo quarto mentis perturbatio, febris remissio. Decimo septimo multum ex naribus profluxit, surditas nonnihil est levata, proximisque diebus stomachi fastidium & surditas aderat, & delira erat. Vigesimo dolor pedum cepit, surditas & delirium intermisit, paucus e naribus sanguis prorupit, sudoribus a febre liberata est. Quarto & vigesimo febris repetit, rursusque surditas, pedum dolor perseveravit, mens emota est. Septimo & vigesimo, copiosis abortis sudoribus, a febre immunis fuit, surditas reliquit, pedum dolor aliquantulum tenuit. In reliquo vero, perfecta inductione absoluta est. Spectat hoc etiam Aphorism. 28. Sect. IV. Quibus biliisae deiectiones sunt, iis surditate superueniente desinunt: & quibus surditas adest, iis, deiectionibus biliosis superuenientibus, finitur. Atque Aphorismo sexto eiusdem Sectionis: Quibus, inquit, per febres aures obsurduerunt, iis sanguis e naribus profluens, aut aliud turbata, morbum solvit. Haec tenus quidem HIPPOCRATES vel narium haemorrhagiam, vel alii solutionem, a surditate expectare videtur; sed abscessum etiam ad aures illum denotare, patet ex Prorrhet. Libr. I. n. 159. Et surditate abscessus ad aures contingere consentaneum est, praesertim vero si implacibilitas quedam, aut inquietus corporis iactatio succedit. Ac inter hos, in iis, qui sopore detinentur, ista magis sperare oportet. Et loc. m. cit. n. 168. scribit: In capitibz dolore, sopor & surditas aliquem ad aures abscessum effundunt. Similia his nostri aevi Medici passim notarunt. Clariss. KIEPENHAUSEN descripsit, inter alios morbos, febrem etiam satis malignam, & epidemicam in plebe gliscentem, partim cum exanthematibus petechialibus stipatam, partim sine eis occurrentem. In hac tinnitus aurium primum, deinde difficultas auditus, surditas, deliria tacitura, animi torpor aderant, & quo prius vigor (qui in diem XIV. cedebat,)

bat, & instabat, eo magis deliria, respiratio tardior & profundiior, sopor, pulsus lentior, stuporque crescebant. Difficilis iste auditus per unam alteramque hebdomadem, interdum per menses adhuc, a morbo durabat, & a clarissimo Viro ad ea signa referuntur, quibus praesentibus salus speranda erat. Eandem auditus difficultatem obseruauit in febre petechiali, alio tempore occurrente. Aegri enim soporosi statim post VIII. circiter diem fiebant, oculi suppurrabant, semi ad apertis oculis dormiebant: difficilis auditus, pulsus lentus, plenus, respiratio tarda, interdum anihela, urina cruda, clara, omnique sedimento vacans superveniebat. Exanthema hinc inde disperebant. Hic roscidus sudor erumpens, in dies crescens, circa XIV. diem in madorem transmutabatur; exanthemata per totum corpus evanescabant, urina iterum crassa turbidaque apparebat, sedimentum modo melioris, modo peioris coloris, & nunc maioris, nunc minoris copiae deponebat, ad quod studiose semper attendendum erat, quod hoc futuram sanitatem vel metastasis docebat. - Ex his secunda valetudo praedicenda erat. Demum in febre catarhalis malignioris indolis, quae tamen cum priore multa communia habebat, hancce auditus difficultatem notauit. Vid. EIVS libellum de Morbis epidemiciis, statim ab initio proximi belli usque ad eius finem Goettingae & circa eam graffatis. Hal. 1766. pag. 3. 4. 15. 21. Pulcre haec confirmantur obseruati celeberr. STRACKII, qui singularem Traictatum de Morbo cum petechiis edidit, plenum obseruationibus, eo ipso fere tempore institutis in vrbe agrisque Moguntinis, quo Goettingae morbum eundem epidemicum vidit clariss. RIEPPENHAVSEN. Haec vero celeberr. STRACKIIS obseruauit: Quibus secunda valetudo sine medicinae, sine corporis beneficio contingit, hi post nonum morbi diem grauiter audiunt, intraque illud tempus rubrum oculorum colorant.

*circa Februm acutarum decrementum occurrente.*

9

rem, quem ante habebant, amittere incipiunt: paulo post  
gratius audiunt, & surdi saepe omnino sunt, intereaque  
oculos rursum pulcros & sanis similes accipiunt. — Simulac  
aegri surdi esse incipiunt, somnum etiam capiunt, & ut so-  
porosi decumbunt, qui vigiles hucusque fuerant (loc. cit. p.  
22. 23.). Non semper tamen haec obseruata sunt. Non-  
nulli enim, et si per pauci, neque oculos rubros acceperunt, ne-  
que surdi, neque soporosi fuerunt, & tamen conualuerunt.  
Item si petechiae ad aliud quempiam morbum principem, ceu  
ad febrim intermittentem exquistam, accesserant, aut ubi  
ipsae absque febre fuerunt: isti quidem aegri, neque surdi,  
neque soporosi facti sunt, & nihilominus conualuerunt (l. c.  
pag. 23.). Sopor tamen & difficultas audiendi in iis, quos  
adfigunt, non diu permanent. Nam posteaquam quinque  
dies aegri soporosi fuerunt, rursum quemadmodum sani, et si  
non diu dormiant, saepe tamen somnum capiunt; & rectius  
sinul audire incipiunt: alii vero diutius surdi marent; cum-  
que acutius audiunt, etiam facie non amplius rubent (l. c.  
pag. 24.). Alio loco plenius haec omnia describir his ver-  
bis: Cum febris ad summum peruenit, aegri oculos rubros  
habent, delirant & manibus tremunt: quasi iuxta corum ce-  
rebrum inflammatio esset. Cum his & surdi & soporosi es-  
se incipiunt, & in dies magis surdescunt, & profundius dor-  
munt. Quod bono quidem est indicio: quoniam id secundam  
valetudinem reuersuram esse certe significat. Contra, qui  
cum ipsa febre neque oculos rubros accipiunt, neque surdi,  
neque soporosi sunt, hi fere omnes pereunt: eueniunt ni-  
hilominus absque his ii tantum, qui petechias sine febre ba-  
bent. Atque illorum aegrorum alii profundius diutiusque  
dormiunt: alii minus, iudicemque facile expurgiscunt. Alii  
grauius audiunt; alii omnino surdi sunt, sic ut nihil, nisi  
magno clamore, percipient. Alii rursum aliquamdiu sur-

B

di



di sunt; alii item diutius, 40. scilicet diebus, surdi erant. Porro qui multa impura in iuso ventre habent, hi & diutius aer-  
grotant, & gravis audiant, quam qui pauca. Et quibus  
multa impura relinquentur: hi etiam superata febre diutius  
surdi manent. Audiant vero rufum omnes, & ut sani dor-  
miant, neque postea soporosi sunt, quam primum pharmaco  
perfecte purgati sunt. Vid. l. c. pag. 143. 144. Consentiant  
cum his obleruata celeberr. MONRO, qui similia in suis nota-  
uit aegris. Eins von den ersten heissamen Zufaellen, inquit,  
so am gemeinsten bey denen, welche geneseten, sich aufferte,  
war ein schweres Gehör, oder eine Taubheit, welche ohngefähr  
um die Hoehe des Fiebers sich einstellte, und eine laengere  
oder kürzere Zeit dauerte, gemeinlich bis das Fieber ver-  
gangen war, und zuweilen auf eine beträchtliche Zeit nach-  
her. Groestentheils thaten wir nichts für diese Beschwerde,  
und es verlor sich wie der Kranke Kraeffte wieder bekam.  
Wenn es lange dauerte, so waren blasenziehende Pflaster bin-  
ter die Ohren gelegt, oder im Nacken, und das Auswaschen  
des Geboerganges mit den erweichenden Decoet, in welchem  
ein wenig Seife aufgelöst war, von Nutze. Vid. Donat  
MONROS Beschreibung der Krankheiten, welche in den britt.  
Feld-Lazarethen in Deutschland am haeufigsten gewesen.  
Altenb. 1766. pag. 33. 34. Addit pag. 33. in Scholio, surdi-  
tatem non petechiali tantum febri, sed aliis etiam compete-  
re, atque in his quoque saepe saepius tanquam salutare sym-  
ptoma occurrere, quod, vt comprobat, duas obseruationes  
addit. Am 17ten Jan. 1759, inquit, wurde ein junger Mensch  
von neunzehn Jahren, wegen eines Fiebers ins Hospital ge-  
nommen, so mit einem stupor und Irrereden, einer aufgesprun-  
genen, trocknen Zunge, und andern Zufaellen eines Entzünd-  
ungsfiebers begleitet war; es war deswegen Adergelassen  
worden, und ihm andere Auslearungen gemacht. Den 19ten,

*circa Februum acutarum decrementum occurrente.* II

da ihm ein blasenziekendes Pflaster gelegt war, wurde er mit einer voelligen Taubheit befallen, worauf alle seine Zufaelle gelinder wurden, und er taeglich besser, und um den zoten voellig von Fieber frey war. Den iosten, ita pergit, wurde ein junger Mensch, 15. Jahr alt, in dasselbe Hospital gelassen, wegen eines Fiebers, welches schon 14. Tage gedauert hatte. Seine Sprache hatte gelitten, und er voellig den Gebrauch seiner Glieder verloren; er hatte zugleich ein Irreden, und andere boese Zufaelle dabey. Am 12ten wurde sein Gehoer ausnehmend schwer, und er nachher taeglich besser, und wurde als ein Geneseter aus dem Hospital gelassen, den 2. Maii, da er sowohl seine Beine gebrauchen konnte, als auch von Fieber frey war. Nolo iam plures obseruationes colligere.

### §. III.

#### *Ordo translationis.*

Istae quidem, quas in medium attuli, obseruationes conuincere nos possunt, auditus difficultatem febribus acutis, circa vigorem & decrementum tamquam symptoma ita non raro accedere, vt inde Medicus bonum morbi euentum colligere queat. Nam ergo quaeritur: 1) Quaenam sint caussae, quibus praesentibus fiat, vt surditas ista febribus acutis, imprimis vero circa vigorem & decrementum, sese adiungat? 2) Quare & quando felicem morbi exitum indicet? & 3) quid Medico practico, quando symptoma illud obseruat, agendum sit? Ad istas quaestiones in praesenti Specimine respondebo. Ut vero prima facilius resolui queat: non absonum erit, prius caussas surditatis generatio considerare.

### B 2

### §. IV.

## §. IV.

*De causis surditatis & gravis auditus generatim.*

Vt auditus fiat, non solum opus est, vt partes auris internae concutiantur, sed requiritur etiam, vt conueniens motus per nerum acusticum ad sensorium commune feratur, huiusque dein mutatio conformem in anima sensationem producat, quam proprie *auditum* vocamus. Deficit ergo haec sensatio: I. Si anima eo in statu fuerit, vt nulla sensatio in ea contingere queat, v. g. sub somno. II. Quando sensorium commune advenientes per nerum acusticum motus recipere non potest, vti in epilepsia, catalepsi. III. Si nerus acusticus, dum ad cerebrum tendit, ita fuerit affectus, vt motus in aure interna natus ad sensorium, quod dicitur, communem perducere nequeat, e. g. ob compressionem. IV. Si motus in aure interna a concitato aere externo non orientur, quod iterum a) a pulpa nerua male in aure interna affecta; b) a vitiis cochleae, canarium labyrinthi, vestibuli; c) a membra na tympani tympanoque vitiis; d) a musculis officulisque male affectis; e) a meatus demum auditorii & tubae EUSTACHII tali morbo, quo transitus aeris impeditus fieri potest. Vid. pluribus GAVBIVS l. c. §§. 704. 705. 706. pag. 369 seqq. Recensentur hic singularia vicia, quae aut surditatem, aut grauem tantum auditum producent, quorum ergo enumerationi vt diurius inhaeremus, non opus est. Ad applicabimus iam praedicta ad febrium acutarum statum.

## §. V.

*Causa auditus gravis in febribus acutis.**I. Congestio sanguinis in cerebro.*

Sub omni febre motus sanguinis, statu sanitatis celerior, abriner; febris enim est morbus, cuius essentiale & individuum

duum symptoma in pulsuum nimia celeritate & frequentia consistit. Quoniam nunc sub motu sanguinis auctiori coacervatio huius fluidi in iis locis contingere solet, quae siue ob debilitatem, siue ob naturalem constitutionem ad congestiones humorum sunt praedispotita; cerebrum vero, ut ex physiologicis notum est, satis insignem sanguinis quantitatem recipere potest: sequitur, in febribus, multoque ergo magis acutis, illud grauioribus congestionibus frequentissime obnoxium esse, quando accelerati motus admittitur causa. Nonne itaque in quacumque febre vasa cerebri turgeant necesse est? Iste vero turgor vasorum, pro gradu & circumstantiarum diversitate, differentes producit effectus, deliria, cephalalgiam, somnolentiam, affectus soporos. Fieri eapropter potest, ut, si haec congestio nimia fuerit, nervi cerebri inde comprimantur, atque ad recipientes motus, qui a locis sensoriis adueniunt, inepti reddantur. Quare, ut omnium sensationum, ita auditus quoque, modo immunitio, modo plenaria abolitio hinc contingere potest. Ex sola ergo sanguinis ad cerebrum congestione, quae plus minusve in quacumque febre acuta euenire debet, gratis auditus & surditas explicari potest. Idem continget, quando haec congestio versus vasa sanguifera organi auditus directa fuit, vt pote in quo casu aut nervi huius organi compressionem pati atque insensiles reddi possint, aut transitus commori aëris ob turgorem vasorum impediti potest (§. anteced.)

§. VI.

*II. Debilitas generis nervosi ob acrimoniam sanguinis.*

Ea est februm acutarum ratio, ut haud raro ab acercentur, quod sanguini inest, eiusque mixtionem depravat. Illud vero acre, dum aut lympham, aut ipsum forsitan flui-

dum nervum corrumpit, vires nervorum prosternit, atque non infreuentur tanto in gradu, ut inde lipothymiae, sopores, insensilitas, memoriae lapsus, & alia similia incommoda progignantur. Quae cum ita sint, poterit etiam illud specificum acre grauem auditum aut surditatem producere. Quacumque enim ratione nervorum actionem concipias, largiaris tamen necesse est, nervos sine fluidi, quod nervum vocamus, praeuenia agere rite non posse. Quodsi ergo hoc fluidum ab acri, quod nonnullae sibi febres acutae vendicant, deprauatum fuerit, omnes ideo nerui, adeoque & isti, qui auditum inseruiunt, languent in sua actione neeesse est. Tunc ideoque, pro corruptionis gradu, aut graui tantum auditus, aut plenaria surditas oboriri debet. Atque simili ratione agit nervorum debilitas, quae a fractis per ipsum morbum viribus nascitur.

## §. VII.

III. *Corrupta materies in primis viii.*

Magnus est, qui primas inter vias & cerebrum totumque genus nervosum obtinet consensus; vix enim una harum partium morbose adficitur, quin & alteram laborare obserueris. Innumerae obseruationes id docent comprobantque. Confer. WHYTT von den Nervenkrankheiten p. 12. & 16. Nunquam vero magis iste consensus elucescit, ac eo in casu, ubi putrida, mucosa, corrupta, acris & biliosa inimica materia in ventriculo haeret. Ut enim impraesentiarum manias, phrenitides, melancholiam, dolores capitis, conuulsiones, febres intermitentes, vertigines & similia nervorum mala omittam, quae ab eiusmodi materiae in primis viis collectione oborta via sunt (haec enim fere a proposito meo sunt aliena): notabo tantum, insignem nervorum prostrationem frequentem esse huius materiae effectum. *Hae rei*

ret aliquando, inquit Perillistr. van SWIETEN, in morbis aliquid circa praecordia, quod venenata quasi vi omnes vires uno momento prosternit; & quamdiu ibi haeret, summam debilitatem facit, quamvis nulla iactura liquidorum praegressa fuerit, neque obseruabilis vlla mutatio, in liquidis solidis corporis partibus reliquis inueniatur, cui subito nata debilitas attribui possit. A bile circa praecordia haerente, non tantum convulsiones, sed & syncopem ortam fuisse, obseruavit GALENV; excusia hac faburra per vomitum, illico cessabant omnia haec mala. In febribus continuis, quae epidemice graffabantur, mirabatur SYDENHAMVS, praeter alia mala symptomata, adesse ingentem ac subitaneam virium conformatiōnem; emeticō vero dato, omnia saeuia illa symptomata, quae & aegros excruciant, & adstantes perterritrefaciebant, mitigabantur. A venenis assūmis, quandoque & summa debilitas obseruata fuit, dum in ventriculo tantum haererent, ut pluribus exemplis apud WEPFERVM in Histor. Cicut. aquat. confirmatur. Vid. EIVS Commentar. in Aphor. BOERHAAVII Tom. II. §. 661. pag. 271. Ist der Magen, inquit celeberr. WHYTT loc. cit. p. 17. in Unordnung gerathen, so erfolgt manchmal eine Bloedigkeit der Augen (LOMMII Obseruat. med. Libr. II.). — Ich kenne ein Frauenzimmer, der, so oft ihr Magen mit Saeure angefüllt ist, alle Sachen wie mit einem dicken Rauch bedeckt erscheinen. Breckmittel, absorbirende Mittel und bittere Sachen machen ihre besten Augen-Arzneyen aus. Wenn ich XV. oder XX Gran vom Extract des Schierlings eingenommen, so wurden oft eine starke halbe Stunde hernach meine Augen schwach, und geblendet, ich wurde schwindlich, und empfand eine Schwäche durch den ganzen Koerper, vornehmlich aber in den Muskeln meiner Schenkel und Armen, so daß ich, wenn ich zu geben versuchte, gleich als ein Trunkener taumelte.

Apo-

Apoplexiā periodicā a solo ventriculi & intestinorum  
vitio obseruauit clariss. MEDICVS: Nach der genauesten Zer-  
gliederung, inquit, fand ich bey zweyen an den periodischen  
Schlagfluss verstorbenen, das Gehirn in den vor trefflichsten Zu-  
stande, und der gesundste Mann kann es unmöglich untadel-  
hafter haben; hingegen war der Magen und die Eingeweide mit  
einer Menge von Galle gleichsam überschwemmt, und so gar  
die Haeute derselben mit dieser Farbe durchdrungen, ia die  
benachbarte Theile eben als davon übertüncht. Hier war  
also die Ursache des periodischen Schlagflusses in den ersten  
Wegen, und die Wirkung dieser Ursache in ganz entfernten  
Gegenden. Vid. EIUS Tract. von den period. Krankheiten,  
II. Theil, pag. 299 seqq. Non minus consentit BOERHAA-  
VIVS: Haeret, inquit, saepe in praecordiis virus anodynūm,  
quod omnem sensum doloris tollit, licet causa eius adsit; ana-  
stethon, quod omnes sensus extērnos internosque tollit;  
amens, quod omnes mentis nostrae actiones plane inuertit,  
ut penitus abire videantur; imo epilepsiam producit, unde  
miseri homines non liberantur, nisi educta hac materia. Con-  
stituit per varios casus, causam bos neruoso turbantem produ-  
cere conuulsiones & tandem Apoplexiā. Atque alio loco:  
Haeret etiam causa in ventriculo, quae potest facere syncopē-  
& destruere totam actionem cerebelli & cordis, ut cor-  
pus uno momento cadat quasi mortuum. Conf. EIUS Prae-  
lest. de Morb. neruor. pag. 460. 461. Sufficiant haec ex-  
empla, quamuis longe plura afferre possem. Patet vero ex-  
iis, inimicam materiam, primarum viarum canali innidulan-  
tem, cerebrum totumque genus neruoso ira debilitare pos-  
se, ut neruorum actio, modo multum imminui, modo pla-  
ne tolli debeat. Nonne ergo grauis quoque hinc auditus,  
aut plenaria surditas oboriri potest? Confer. Illustr. & Vene-  
randi PRAESIDIS Fundam. Patholog. special. Sect. VII. Cap.  
VI.

VI. §. 9. pag. 545-546. Nunc vero in febribus acutis, saepe saepius primarum viarum canalis cruditatibus est repletus. Quare & hae ad censem earum caussarum referri debent, quae aegros febre acuta detentos, surdos reddunt.

§. VIII.  
*De actione huius caussae.*

Si quid vñquam exsistit, quod, quantum in Theoria medica nesciamus, ostendit, id certe præ ceteris est consensus, qui inter corporis humani partes obtinet. Quamvis enim pulcherrimæ obseruationes eum non solum doceant & confirmant, sed partes etiant consentientes præmonstrent: caussæ tamen huius consensus densis adhuc inuolutæ sunt tenebris, quas summorum Virorum ingenia & industria discurere nondum potuere. Nil ergo in hac materie superest, quam vt, vel solis obseruationibus innitentes, phænomenorum rationem posteritati relinquamus, vel hanc coniecturis potius, quam exactis demonstrationibus, assequi tentemus, ne, in his quaerendis nimis solliciti, operam oleumque perdamus. Nonne autem caussæ quaedam adduci possunt, quare fiat, vt a collectis in primarum viarum canali cruditatibus grauis oriatur auditus? Videamus hoc! *Diftensio aut constrictio primarum viarum a multis, & recte quidem, allegatur.* A collecta enim in primis viis saburra modo flatus & distensiones, modo constrictiones earum effici possunt. Natae inde vasorum sanguiferorum compressiones aut contractiones, sanguini liberum transitum non permittent; sanguis itaque in partibus superioribus accumulari, atque hinc caussa surditatis & grauis auditus possibilis enasci debet (§. V.). Cauendum tamen, ne hanc caussam pro vñica & vniuersali habeamus. Saepe enim surditas aut grauis auditus a primarum viarum cruditatibus oriri solet, absque eo, vt

C

aegri

aegri de cardialgia, colicis doloribus & insigni abdominis intumescientia, conquerantur, quae tamen incommoda adesse deberent, si constrictio aut distensio primarum viarum grauem in his casibus producerent auditum. Tunc ergo, ut haec phaenomena explicitentur, ad solum nervorum confitum configiendum erit, quo posito (quamvis solide enodari nequeat), vel nata in nervis primarum viarum a cruditatibus debilitas cum toto nervorum systemate communicatur, vel absque constrictione aut distensione primarum viarum a solo nervorum vicio, congestio sanguinis versus superiora nascitur, quorum uno altero posito, surditatis grauisque auditus ponitur cauſa.

## §. IX.

IV. *Metastasis materiae morbosae.*

Quando materia aliena, quae produxit febres, ita in loco quodam corporis humani colligitur, vt morbus postmodum existere definit: febris per *metastasin* tunc soluta esse dicitur. Nunc vero in omni febre, ob impulsum sanguinis, & coētio, & delatio materiae febrilis ad loca corporis determinata fieri potest. Quare etiam in febre acuta non solum metastasis generatim, sed etiam ad aures contingere potest, quod multiplex testatur experientia. Nonne vero tunc *sive* ob compressionem nervorum, qui auditui inferiuntur, *sive* ob obstipationem meatuum, quos aëri commotus in statu sanitatis transit, grauis auditus oriri debet?

## §. X.

*Cauſae surditatis & grauis auditus circa febrium acutarum decrementum.*

Ex praedictis itaque generales istae eluescunt cāuſae, quae efficere valent, vt in quocunque febrium acutarum

stadio

stadio ipsis aut grauis auditus, aut surditas accedit. Sequitur hinc, ut eae nunc afferantur horum symptomatum causae, quae circa februm istarum decrementum ea producunt (§. IV.). Cum in §§. V-IX. omnes caussae surditatis, quae in febribus acutis, vt puto, vnuquam obtinere possunt; allatae sint: Sequitur, *vel* omnes, *vel* nonnullas saltim eandem circa decrementi tempus in his febribus progignere. Quare iam obseruationes consulendae sunt, vt pateat, an omnes, aut quaedam tantum surditatis caussae, quas haetenus enumerauimus, ad eandem hic producendam concurrant? Discitur ex istis, grauem illum auditum prouenire I. a congestione sanguinis versus caput. Nam quibus secunda valetudo, inquit celeberr. STRACKIUS (conf. §. II.), siue medicinae, siue corporis beneficio contingit, hi post morbi nonum diem grauiter audiunt, intraque illud tempus rubrum oculorum colorem, quem ante habebant, amittere incipiunt; paullo post grauius audiunt & surdi saepe omnino fiunt, intereaque oculos rursum pulchros & sanis similes accipiunt. Rubor oculorum sine dubio pendet a congesta sanguinis ad vasa oculorum mole. Quoniam is nunc eo ipso tempore abit, quo grauis in petechiis auditus, aut plenaria surditas nascitur: sequitur, caussam huius audiendi difficultatis latere in translatione sanguinis ad vasa organi auditus sanguifera. Vidimus etiam §. II. HIPPOCRATEM ex auditus difficultate nonnunquam narium haemorrhagias praefagire solitum fuisse. Haec vero haemorrhagia congestionem sanguinis versus caput semper supponit. II. A primarum viarum cruditatibus. Notat enim HIPPOCRATES (§. II.), surditatem in febribus nonnunquam materiae cuiusdam e primis viis expulsionem sequi. Idem testantur celeberr. STRACKII obseruata (§. citat.): *Qui multa, inquit, impura in imo ventre habent, hi & diutius aegrotant, & grauius audiunt, quam*

qui paucar. Et quibus multa impura relinquuntur, li etiam superata febre diutius surdi manent. Audunt vero rursum omnes, & ut sani dormiunt, neque soporosi sunt, quam primum pharmaco perfecte purgati sunt. Notat quoque clariss. RIEPENHAVSEN (l. c. pag. 2.), nanseam, vomitus aeruginosos, biliosos, in aegris adfuisse, atque postmodum (l. c. p. 4.) diarrhoeam excrementorum biliosorum, valde foetentium & cum impetu erumpentium, per incrementum in vigorem usque praesentem, quacum perjaepi humbrici extabant, nullo remedio adhibito, accessisse. Facit demum huc pulcherrimus BOERHAAVII locus (l. c. p. 460.): Excrementum, inquit, febrile corruptum, ex humoribus prius sanis circa praecordia suas ludit tragedias, ita, ut per solam febrilem excandescientiam mutatum & quasi venenatum factum, praecorditisque affixum, perducat morbos, cerebrum afficienes, dolores capitis & deliria immania, quae excremento hoc ablato sanantur. Ab hac regula certa, quam debemus HELMONTIO, curatio pendet, quae non perficitur medicis applicatis ad partes affectas, sed ad loca, a quibus hi morbi ducunt originem. III. A debilitate generis nervos. Surditas enim haec, gratisque iste auditus, sponte non raro recedere solent, quam primum vires aegrorum restitutae fuerint (§. II. MONROI. c. p. 34.). IV. A metastasi materiae febribus. Pater id ex observationibus HIPPOCRATIS superiorius §. II. citatis, atque ex vsu vesicatoriorum salutari, quem expertus est MONRO (l. c. pag. 34.). Omnes ea propter caufas, quas superiorius enumerauimus (§§. V-IX.), eam etiam producunt surditatem, quae febribus acutis circa earum vigorem & decrementum accedit. Modus itaque, quo eandem digniunt, ex §§. citat. intelligi potest, quamvis hic addi debeat, critica molimina, quae circa februm acutum vigorem & decrementum adsunt. Naturam modo defatigare, modo

modo ita sollicitare, ut abnormes versus caput inde efficiantur congesiones. Ex utraque causa oriatur surditas (§§. V. - VI.).

§. XI.

*Cur surditas in his casibus non statim sub initium adsit,  
licet eius causa adesse videatur?*

Quam vero ob causam sit, ut surditas haec & difficultas audiendi circa decrementum demum & vigorem febrium acutarum accedat, licet, in quibusdam certe casibus, causa illius iam adesse videatur sub initium febris? Sic videntur §. anteced. notabilem audiendi difficultatis, quatenus circa februm acutarum decrementum occurrit, causam circa praecordia haerere, quae causa statim adesse videatur, quando febris acuta nascitur. Nonne ergo mirandum erit, tunc demum in illo casu hoc phaenomenon comparere, quando ad vigorem & decrementum peruenit febris acuta? Desines autem mirari, si sequentia perpendere tibi placuerit. I. Effectus semper eo facilius producitur, quo plures ad eundem producendum concurrunt causae. Fieri itaque potest, ut eiusmodi effectus, vnicum tantum eius causa praesente, nondum compareat, pluribus vero similibus concurrentibus demum enascatur. Atque id etiam ad praesentem casum applicari potest. Quamuis enim primarum viarum cruditates sub febris acutae nitium iam obtinere queant: at tamen, cum circa vigorem harum febrium & decrementum plures surditatis accedant causae (§. anteced.), fieri nihilominus potest, ut in febre acuta, vires suas magis magisque euolvente, surditas absit, eo demum tempore accedens, quo plures ad candem progignendam conueniunt causae. II. Videntur in superioribus, corruptionem materiae in primis viis latitantis causam surditatis suppeditare, quae febribus acutis

C 3

fese

sese adiungit. Nonne ergo eo tempore praecipue compare debet, quo corruptio maior est? Quodsi vero hoc: vigoris & decrementi tempus maxime conueniens erit. Quies enim materiae, ardor febrilis, eandem magis acuunt, ut quo diutius in febre relitet, eo magis corrumpatur. Conferantur, quae ex BOERHAAVIO §. anteced. adduxi, cum de primarum viarum cruditatibus, tanquam surditatis, circa vigorem & decrementum febrium acutarum oriundae, caussa, differerent. In aliis, praeter adductum casum, vel ob debilitatem, vel ob molimen criticum nascitur surditas aut grauis auditus. Atque tunc facile ratio intelligitur, cur haec symptomata tunc demum in febribus acutis appareant, quando in vigore sunt & decrescent.

### §. XII.

*Quibusnam febribus, acutis hoc symptoma magis sollempne deprebendatur?*

Cum caussa surditatis in febribus acutis lateat modo in congestione sanguinis versus caput (§. V.), modo in generis neruosi debilitate (§. VI.), modo in cruditatibus primarum viarum (§. VII.), modo in metastasi materiae febrilis ad aures (§. IX.); sequitur, surditatem eo magis febri cuidam acutae competere debere, quo magis modo dicta in eadem obtinent. Reute hinc HOFFMANNVS (*Medic. system. ration.* Tom. IV. Part. IV. Cap. IX. pag. 154. §. V.) affirmat, immunitationem aut abolitionem auditus *in febribus continuis, exanthematicis, maxime catarrhalibus malignis, seu petechianis, Hungaricis, & quae caput cum eius dolore ac delirio afficiunt, critico quasi motu contingere.* In febribus enim catarrhalibus metastases faciles fiunt ad aures, cum surditas aut audiendi difficultas frequens sit affectuum catarrhalium symptoma; in hungaricis quoque saburra primarum via-

rum

rum obtinet, & neruorum insignis occurrit debilitas; in iis demum febribus, quae caput cum eius dolore ac delirio afficiunt, congestiones sanguinis versus caput solent esse grauiores. Intelligitur etiam hinc: *cur petechialibus adeo familiaris sit* (§. II.)? Genus enim neruosum in his valde debilitatur, atque non raro primae viae variis materiais inquinantur; *cur febribus cauſicideis*, ex HIPPOCRATIS obſeruatione (§. VII.), *competat?* Bilis enim, orgasmus sanguinis, accedens non raro plethora, id efficiunt; *cur febribus inflammatoriis*, inflammationi potissimum cerebri, capitis aliarumque partium, accedit? Enormis enim adeſt sanguinis tam orgasmus & rarefactio, quam raptus ad superiora; *cur decrementum febri miliaris rarius saltim competit?* Magno studio ſympromata febris miliaris collegit celeberr. ALLIONIUS, in noſiſſimo ſuo de *Miliarium origine &c.* traſatu; notat quidem, auditum acutiorē in iis adeſſe, ſurditatis vero mentionem non iniicit. Ratio ex praedictis & ex natura miasmatis miliaris mihi patere videtur. Pulsus enim in miliaribus contractus, atque vrinae tenues & aquosae & copiosae, ſuadere videntur, in iſtis febribus irritari potius, quam debilitari neruos. Fiet hinc, vt acutior potius auditus, quam grauior oriatur. Hunc tamen in his etiam febribus contingere poſſe, vel ſola illa DAVIDIS HAMILTON obſeruatione ſuadere mihi videtur, qua ductus affirmat: *Aegri quo magis somnolenti, eo felicius conualeſcent* (SYDENHAM Oper. om̄. Tom. I. pag. 388.).

§. XIII.

*De Prognosi ex ſurditate in febribus occurrente formanda.*

I. *Varia de hoc ſymptomate iudicia.*

Satis iam de cauſis diximus, quae ſurditatem & auditus diſcultatem in febribus acutis inducere poſſant. Nunc ergo

ergo de respectu horum symptomatum ad febrium acutarum euentum verba nobis facienda sunt (§. IV.). Varia vero hic occurunt Observatorum iudicia, quorum nonnulla asserre non sine vnu erit. *Surditas*, inquit RIVERIVS, licet in principiis morborum acutorum periculosis sit, iuxta doctrinam HIPPOCRATIS; tamen in statu morbi apparens, salutem portendit, praecipue in febribus malignis. Et nos millies obseruauimus, hisce febribus laborantes, quibus surditas in statu superuenient, aliis symptomatibus, quantumvis periculis exstinentibus, omnes euasiſſe; indicium enim est, cerebrum, satis validum, noxios humores ab internis partibus ad exteriore detrudere. Vid. EIVS Method. curand. febri pag. 115. Fusa de prognosi, ex auditus difficultate in febre hungarica formanda, differit RVLANDVS, in libello suo de Lue Vngarica recte cognosc. & feliciter curanda, pag. 76. *Surditas*, inquit, Bægn̄son, huic febri accedens, bona & salutifera plerumque est comperta; interim tamen ei soli non semper est fidendum, cum & HIPPOCRATES in Coac. Praenot. & I. Prorrhet. eam ut dubiam censeat saepiusque malam. Quid ergo boni portendit duratio & surditas toutes ab HIPPOCRATE damnata? Sane surditas, constante facultate superueniens, phrenitidem arguit deliriumque, sursum irruente morbifica materia & organa auditus obſidente: eadem facultatibus debilitatis mortis imminentis praesaga est. Quodsi phrenitidi, delirio, aut dolori capitis, quae in hac Lue quotidiana symptomata sunt, surditas succedit, illis restantibus aut diminutis, virtute alleuata bonum habeatur signum, futuram pone aurem parotidem aut aliam sensibilem euacuationem, transmigrante humore morbifico ab internis ad externa, ostendens. Ipse HIPPOCRATES, quamuis laude surditatem & grauem auditum in febribus acutis (§. II.), alii tamen in locis ea symptomata mala iudicat. Confer. Prosp.

ALP'

ALPINVS de praefag. vita & morte aegrot. p. 108. sqq. Clas-  
siff. RIEPENHAVSEN, celeberr. STRACKIVS & MONRO surdi-  
tatem bonam obseruarunt, atque Illustr. b. n. HOFFMANNVS  
(l. c.) affirmat, surditatem in istis febribus (§. antec.) extra  
dies potissimum criticos euenire, bonique plerunque omnis es-  
se solere. Ne nimis multus hac in re sim, plura similia Obser-  
vatorum dicta omitto. Satis vero ex praedictis elucescit, non  
omnem audiendi difficultatem, in febribus acutis subnatam,  
laudari. Cuius rei ut pateant rationes, exactior requiriatur  
consideratio.

#### §. XIV.

*Audiendi difficultas in se spectata minime erit bona.*

Audiendi difficultas, modo sentiendi vim debilem, modo robustam quidem, sed ab aliis caussis in sua actione impe-  
ditam ponit (§. IV.). Nunquam itaque, si in se spectata con-  
sideretur, pro salutari in febribus acutis venditari potest.  
Quodsi enim a vi sentieendi labefactata pendeat: genus ner-  
vosum debile indigitat. Sed vires multum frangi in febri-  
bus acutis, minime bonum est. Quando autem audiendi  
difficultas ab impedimento nascitur, quod nervorum actioni  
obiicitur: id quidem in febribus acutis a raptu humorum  
versus superiora contingit. Atque quis est, qui hanc ver-  
sus superiora congestionem in febribus acutis salutare acci-  
dens praedicare velit? Ipsa praeterea surditas, aut grauis au-  
ditus, copiam symptomatum, quae febres acutas comitan-  
tur, auget. Non poterunt ergo haec symptomata in se spe-  
ctata salutaria haberi, id potius quod boni maliue por-  
tendunt, ex rerum, quae circumstant, ratione determina-  
ri debet.

#### D

#### §. XV.

## §. XV.

*Audiendi difficultas quando in febribus acutis praecipue bona malaue sit? generatim ostenditur.*

Quodsi ergo quaestio oboriatur: quandonam in febribus acutis audiendi difficultas praecipue bona malaue sit? hic sequentes regulae fundamenti loco ponи possunt:  
**I.** Quae criticam euacuationem praecedit, melior, quae eandem sequitur, peior est. Haec enim critica imperfectam minusque salutarem fuisse indicat: illa vero spem facit, fore, ut, subsequente critica euacuatione, & morbus & surditas euaneat. Pertinent huc, quae habet *Prop. ALPINVS* l. c. pag. 109. Est illa surditas, inquit, *lethalis*, quae a criticis euacuationibus malis apparet, & merito Jane, cum tales vacuationes sint ex signis indicatoriis, non indicantibus letalibus; namque ex vacuationibus, quae iuuare deberent, nedium non iuuant, sed etiam laedant, lethales existunt, ut *GALENVS* in *Prorrhēt.* 3. Text. 35. docuit. Cum itaque aegroti ab euacuationibus nedium non iuuentur, sed etiam laedantur, ita, ut exinde vel coeci, vel surdi, vel vigiles, vel deliri tunc eundant, sine dubio letaliter se habent. *De his in 3. Prorrhēt:* Quae ex naribus cum surditate & ignauitate parua est destillatio, difficile quidquam habet. Sed *GALENVS* in *Commento*, *stillationem* illam cum surditate nedium difficilem, sed exitiosam, ita habere statuit, ut propterea surditas sit letalis cum euacuatione aliqua; itaque vel post euacuationem apparentis surditas, in acuta febre plerumque est letalis, modo non ex humorum copia fiat, qualis fuit in *Herophonte*. Adducit dein obseruationem ex *HIPPOTRATE*, quae quadam tenus huc pertinet: *Primo die biliosa, pauca vomuit, flava illa primo, sed deinde virulenta, pluraque alio stercora excreuit, noctem habuit*

buit molestam. Altero die surditas, acuta febris, dextrum hypochondrium est contentum ac intro inclinabat, urinae tenues, pellucidae &c. qui quinto die obiit phreniticus. II. Quae surditas phrenitidem, delirium & dolorem capitatis absque eo, ut omnis vis sentiens destruitur, excipit, melior, ea vero, quae haec praecedit, peior. Illa enim motum sanguinis & materiae morbificae ab interioribus ad exteriora; haec vero motum humorum ab exterioribus ad interiora indicat. Confer. quae §. antec. ex RVLANDI de Lue Vngarica tractatu adduxi, & Prosp. ALPINVS l.c. pag. 110. III. Audiendi difficultas, quae in febribus acutis cum nervorum resolutione ita contigit, ut haec aut perduret, aut vanizversalis sit, mala est; melior quae nervorum resolutionem soluit. Haec enim morbum grauiorem soluit; illa aut mortis est indicium, aut morbum latius sese extendere indicat. Hinc HIPPOCRATES (*Aphorism.* Sect. IV. Aph. 49.): *Si in febre, inquit, non intermitte labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nafus perueritur: Si non videat, nec audiat, imbello iam existente corpore, quidquid horum acciderit, mors in propinquuo est.* Breuius adhuc similia in Coac. praezag. (Sect. I. text. 27.) enunciantur: *Iam labascientibus viribus, siquidem aeger non videat, aut non audiat, lethalis.* Surditatem quoque cum tremore, linguae resolutione, torpore, malam habet Prosp. ALPINVS l. c. pag. 109. Nonnunquam tamen in febribus acutis accedens surditas nervorum resolutionem soluit, de qua re vide ea, quae in superioribus (§. II.), ex MONROI *Traetatu von den Feld-Kranckheiten*, adduxi, atque in isto casu surditas non erit mala aut lethalis. Generalia haec sunt fundamenta & leges, secundum quas prognosis in febribus acutis ex auditus difficultate formari debet, quibus tandem id adiciendum, quod facile patet, omnem nempe surditatem,

quam lethalia signa sunt coniuncta, malam esse (*Prosp. ALPINVS l. m. c.*). Iam opus est, ut paullo specialius huius phaenomeni ad febres acuras respectum inquiramus. Cumque Observatores consentiant, surditatem in febrium acutarum principio malam, in earum vigore & decremento vero plerumque bonam esse, huius iam rationes a nobis proponendae sunt, praeceps cum id fini huius Scripti respondeat.

## §. XVI.

*Auditus difficultas cur in principio febrium acutarum mala habenda sit?*

Cum in principio febrium acutarum neque critica euacuatio, neque salutaris metastasis sperari queat, materia adhuc cruda existente, sequitur: surditatem eo ipso tempore accedentem minus esse salutarem. Sola enim, quam factam aut futuram indicat audiendi difficultas, metastasis aut & crisis docet, ob surditatem bonum febrium acutarum euentum sperandum esse (§§. XIV. XV.). Videtur, quando caussas huius surditatis, sub initium eiusmodi febrium occurrentis, consideramus. Quodsi enim a congestione humorum versus superiora oriatur (§. V.): ostendit, hanc adhuc maiorem futuram esse, quando ad incrementum & vigorem febris acuta tendit. Nonne itaque tunc facile tanto in gradu increscere potest congestio, vt lethalem morbi euentum producat? Quando generis nervosi debilitas caussam huius surditatis suppediat (§. VI.): indicio est, eam valde magnam esse, hincque facile dein, ob virium defectum, fieri posse, vt aeger succumbat. Quodsi porro primarum viarum canalis, ob collectas ibi impuritates, caussam audiendi difficultatis statim sub initium

um febris contineat (§.VII.): hunc haec vel venenatam corruptae materiae indolem, vel copiam illius nimis magnam indigitat, eaque propter in hoc vtroque casu antea sine dubio morbi ipsius metuendus est euentus. Demum si a metastasi oriatur. (§.IX.): haec, cum materia sub initium febris minus rite cocta sit, minus etiam omnino salubris dicenda est. Luculenter ergo hinc cognoscitur, quare factum sit, ut surditatem, sub initium febrium acutarum comparentem, damnauerint Medici?

§. XVII.

*Cur surditas grauisque auditus in vigore & decremente febrium acutarum signum bonum?*

Circa vigorem febrium acutarum earumque decrementum, molimina critica horumque effectus comparere solent. In horum vero numerum referri quoque debet surditas (§.X.). Quae ergo signum instantis crisis aut salutaris metastasis esse potest, si praedicto tempore obseruatur (§. citat.). Quare eo respectu bonum praebet signum. Surditas in acutis morbis semper mala, inquit, Prosp. ALPINVS (l. m. c.), illa excepta, quae ex critica perturbatione excitatur: nam haec non secus, quam deliria, convulsiones, comata, vigiliae, anxietas, dolores & alia huiusmodi symptomata, per se perpetuo mala, aliquando, facta in corpore critica perturbatione, optimam aliquam evanescationem praemonstrant; soletque aliquando crisis esse indicum. Vidi mus etiam §. II. obseruasse HIPPOCRATEM, surditatem hoc tempore modo haemorrhagiam, modo abscessum, seu metastasis, modo deiectiones denotare. Non mirandum itaque, quod, si circa vigorem, cum subsequentibus his crisiibus aut abscessibus ad aurem, potius aegri surdescant, sanitatis postmodum redditus obseruetur.

Quandoque tamen surditas, circa vigorem febrium acutarum apparens, critico potius sudori iungitur, qui aequem salutaris, ac crises praecedentes, deprehenditur (§. X.). Notat HOFFMANNVS, quando de affectibus soporofis loquitur, ex Barthol. de MOOR, tres dari species, quarum altera sit ea, cum aegri post toleratas vehementiores acutas febres ex insigni infirmitate altos incident sopores, inque iis per aliquot dies permaneant. Adiicit demum: *Contingit etiam talis sopor per febres acutas, maxime exanthematicas, circa dies criticos, tumque sudore iunctus, optimum exhibet praeagnum* (l. c. pag. 53. §. V.). Sicut eiusmodi sopor, cum sudore iunctus, salutaris est: ita surditas, similis sine dubio affectus, bonum erit signum, quando perspiratio aucta ipsi iuncta est, atque haec comparatio eo magis valet, quo certius ex §. II. constat, affectum soporosum & surditatem eodem tempore solere in febribus acutis comparere. Nunc vero docuit obseruatio, surditatem in vigore febribus acutis familiarem, quando bonum exhibet signum, vere cum sudore iunctam esse. Confer. clariss. RIEPENHAVSEN l. c. pag. 4. & celeberr. STRACKIVS, l. c. pag. 23. Nonne ergo & huius respectu boni erit ominis? Atque idem de turbida vrina vallet, quando cum ea circa vigorem & decrementum febrium acutarum surditas occurrit (RIEPENHAVSEN l. m. c.). Criticæ itaque euacuationes salutaresve metastases, quibuscum surditas stipari solet, verae sunt istae causae, quibus sit, vt eo tempore apparens, salutarem morbi eventum praemonstret. Neque reponi debet, illum surditatem a debilitate quoque virium pendere, quod pateat ex affectu soporo, quocum stipata incedat, atque hinc minus salubrem dici posse, dum virium iacturam indicat. Illa enim debilitas necessaria est morbi perpetui sequela

quela, tantumque abest, ut soporosus iste affectus damna-  
dus sit, ut potius salutem sperandam esse doceat. Nam  
si aegri, ab initio statim pernigiles facti, etiam post diem octa-  
vum per vigorem tales manebant, malum erat signum &  
criterium mortem vere praesagiens (RIEPENHAVSEN  
l. c. pag. 5.)

§. XVIII.

*Quid Medico quoad hanc surditatem agendum sit?*

Solet ea plerumque sine medela sponte solui, re-  
deuntibus a morbo & virium neruorumque robore, &  
restituto aequabili sanguinis atque fluidorum motu. Non-  
nunquam tamen, monente id l.c. MONROO, satis diu du-  
rat, atque tunc remediorum applicationem postulat. Quum  
autem eo in casu stagnationem fluidorum assumere debea-  
mus tanquam caussam surditatis & difficultoris auditus:  
remedia illa, quorum applicatio requiritur, nulla alia  
erunt, quam resoluentia, deriuantia & tonica, externa  
internaque. Saponacea ergo varia, vesicatoria, laxantia,  
martialia & similia, vtramque hic facient paginam. Con-  
sentit MONROVS l.c. qui praestantiam huius me-  
thodi testatur.

T A N T U M.



VIRO

VIRO PRAENOBILI DOCTISSIMOQUE  
IOANNI EBERHARDO FISCHER

S. P. D.

PETRVS MILLORADOVICS, OPPON.

Ego vero, FISCHERE CHARISSIME, non permittam, ut me tacent, egrégio variarum Scientiarum adparatu instrutus, ex consuetudine mea discedas. Laudabilis enim rem tuam gesisti, quam ut eam hic silentio praeterire possem. Indefesso studio sectatus es medicinae scientiam, & quid in ea praesliteris, arguit praeiens eruditio Specimen, a te proprio marte promptaque calamo elaboratum, quod procul dubio inusuram patronos haud paucos TIBI conciliabit. Gratulor itaque TIBI de eruditio- nis specimine. Gratulor honores doctorales mos legitimo modo impe- trandos. Gratulor aegrotis, qui TVAE se curae committunt, quod atten- tum & probum inuenient Medicum. Tandem & mihi gratulor de ami- co, in quo formando non frustraneam operam collocavi. Ita vale, & res tua ag feliciter. Dabam Halee die II. Decembr. An. MDCCCLXVII.

VIRO PRAE N O B I L I S S I M O ,  
AMICO AESTVMATISSIMO

S. D. P.

IOANN. GEORG. FRIDERICVS BÜCHNER, M. C. OPPON.

Summo etiam, quo possum, amore, si TE complector, qui in praesenti iam tantus est, vt ne quicquam quidem ad cum accedere posse arbitrer, tamen nullo tempore, vt mihi persuadeo, is erit, qui TVIS virtutibus respondere posset. Tot enim illae tantaeque sunt, vt, si quibus vñquam contigerint, certe perpaucis. Accedit ad id diligentia TVA, qua multos dies noctesque in nostra arte consumisti addiscenda; qua fit, vt hodie TVO quasi iure summos artis medicae exspectare queas ho- nores. Hocque animo meo vim inferre deberem, si non hodie pro pro re tabulas votivas suspenderem. Gratulor idcirco TIBI ex animo hunc diem, & quisque TIBI probus illum gratulatur. Cape summos, qui TIBI offeruntur, honores; capies enim TIBI diligentiae praemio, patriae decori, familiae TVAE lactitiae & aegrotis saluti. De reliquo res TVAS feliciter age, meque imposterum ama. Vale. Dab. Halee, d. II. Decembr. MDCCCLXVII.



halle, Diss., 1766-67

ULB Halle  
002 057 565

3



St

Retrov





72

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA  
DE  
**AVDITVS DIFFICVLTATE**  
CIRCA  
FEBRIVM ACVTARVM DECREMENTVM  
OCCVRRENTE

76742

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE  
PRORECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSECVENDIS  
D. III. DECEMBER. A. R. S. Cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c<sup>o</sup> LXVII.

PUBLICE DEFENDET

**IOANNES EBERHARDVS FISCHER**  
STECKLENBERGA - HALBERSTADIENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

